

Q.K.

Q.K.514,9.

de re Scholastica eiusq; præfautia  
Coram

Pastore Primario Ad

S. T.

Ye  
5498

DOMINO  
M. AUGUSTO  
BEYERO

Inspectore scholae Sorbigensis grauissimo,  
*nec non*

MAGISTRATU

CIUITATIS SORBIGENSIS

amplissimo,

Patrono *scholae patriae*  
*optimo*,

*sub examen solemne*

A. P. C. N. CI CI CC XXXIX.

DIE IV. IDUS MAI.

*more solito*

*aliqua ex re scholastica*

*præfatur*

M. Jo. Daniel Weisiger,

*Rect.*

BIBLIOTHECA  
PONICAVIANA



*Praefatio*  
Praefatio  
DOMINO  
OTRIODIA M  
VIRIS  
PRAENOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSI-  
MIS PRUDENTISSIMISQUE,  
**DOMINIS CONSULIBUS**  
longe meritissimis,  
**CAETERISQUE SENATORIBUS**  
*civitatis Sorbigenis multo spectatissimis,*  
**DOMINIS ATQUE PATRONIS SUIS**  
*omni animi religione perpetuaque obseruantia  
prosequendis*  
d. d. d.

Rector.

בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם  
בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם  
**VIRI**

ADMODUM REUERENDE, PRAENOBISSIMI,  
CONSULTISSIMI, PRUDENTISSIMIQUE,  
PATRONI ATQUE FAUTORES Æ-  
TATEM DEUENERANDI,



i uerum est, de quo ex sapientibus dubitat nemio, hominis fortunam et secundam et aduersam maximam partem dependere ex educatione, non est inficiandum, ludis literariis, ubi animi puerorum formantur bene, deberi tantum, quantum quisque suae debet ipsius saluti. Quia igitur hac ipsa die examen nostrum habebitur scholasticum, bono cum Deo! ex res scholastica, pace quidem uestra, aliqua dicam. Quod ab inhumanis et malae notae hominibus scholae habeantur despiciunt, eaeque parui et minimi imo nihil ducantur, id notius est et euidentius constat, quam ut uerbis id elo-

eloquar multis. Sed spretae licet nulloque  
 loco sint numeratae, insignem tamen et mul-  
 to eximiam scholae afferunt utilitatem, non  
 secus, ac tellus, quae pedibus conculcata ui-  
 etum tamen omnibus profert et copiam sup-  
 peditat longe uberrimam. Scholae, si qui-  
 dem praestantiam earumque utilitatem re-  
 spiciamus, non inferioris sunt conditionis,  
 quam ordo alias uel honestissimus quisque.  
 Quid? quod egregium nomen scholae sunt  
 aliorumque generum uitae ut basis et funda-  
 mentum, sic quoque gloria prima. Et ut pau-  
 cis multa dicam, scholae sunt pietatis conser-  
 uatrices: scholae sunt artium bonarum nu-  
 trices: scholae sunt morum optimorum for-  
 matrices atque fortunae nostrae magistrae.  
 His igitur bene consideratis, uniuersum scho-  
 larum sistema consistit in eo, ut in scholis  
 pueri reddantur pii: ut reddantur eruditi: ut  
 reddantur morati. Pietas igitur suprema lex  
 est, haec mater, haec fundamentum, haec a-  
 pex est reliquarum virtutum omnium. Ea  
 propter discipulos nostros eo duci mus, ut ue-  
     ra

ra et sincera imbuantur pietate: ut noscant  
 DEUM, et, quem misit, filium: ut hunc no-  
 scant secundum essentiam et voluntatem:  
 ut noscant etiam media salutis. Sed non satis  
 est, ut sciant tantum, sed eos etiam docemus,  
 ut id, quod sciunt, itidem faciant uitaque sua  
 probent. Nam sine pietate uita est mortua,  
 et sine uita pietas est hypocrisis. Igitur nexu  
 arctissimo et perpetuo uinculo coniungen-  
 da sunt et pietas et uita. Impietas e contrario  
 horribilis est draco syrmate suo longe uiru-  
 lentissimo post se trahens omnium flagitio-  
 rum familiam. Alter scholarum finis est, ut  
 pueri etiam reddantur eruditii. Hic equi-  
 dem non intelligimus sumimum eruditionis  
 fastigium, id quod gymnasiis et academiis re-  
 linquimus merito; sed eae hic significantur  
 doctrinae, quibus in scholis oppidanis aetas  
 puerilis impertiri et ad uitam practicam ad-  
 fuesieri debet. Hinc secundum leges scho-  
 lasticas lectiones nostras tractamus, tracta-  
 tas inculcamus, inculcataς iterum iterumque  
 repetimus, et per omnia facimus id, quod of-

ficii nostri postulat ratio. Non peccamus, si, caeteris quidem paribus, de his quoque studiis cum Tullio (\*) dicimus: Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatum praebent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Tertius denique scholarum finis est, ut pueri quoque fiant morati. Dici uix potest, quantum possint mores in concilianda fortuna. Concinnitas morum et elegantia uitae magnetis ad instar hominum animos trahunt. Parum sane, et prope dixerim nihil ualebunt literarum studia, quae sunt sine morum integritate. Certum est, quam quod certissimum, quemadmodum etiam in illo tritissimo dicitur, illum, qui proficit in literis, et deficit in moribus, plus deficere, quam proficere. Ideoque nostri quotidie commonentur discipuli, ut sint comes, ut sint modesti, ut sint ueraces, ut sint casti, ut sint urbani, nec, ut uidemus multos,

(\*) in oratione pro Archia poëta.

tos, animo sint tam agresti , ut salutati uix  
resalutent: sed potius ut moribus compositis  
obseruantesque sint decori atque uirtutum  
homileticarum. Sed enim uero multae hic  
nobis se se offerunt difficultates, quae , ut  
finem nostrum minus consequamur, omnes  
impeditunt , et dies mihi deficeret , si re-  
censere ordine uellem omnes. Unum id-  
que praecipuum, UESTRA, PATRONI OPTIMI,  
pace, tantummodo nominabo impedimen-  
tum. Scholam quidem habemus, eamque  
post DEUM magistratui nostro amplissimo  
debemus, haec aedificata, haec triginta ab-  
hinc, et quod excurrit, annis extructa, haec  
beneficiis quoque ornata est: sed id dolen-  
dum, idque deplorandum, ordines scholae  
nostrae, quos classes uocamus, nec distinctos  
satis, nec satis separatos, sed triplicem coetum  
in uno eodemque loco et uno eodemque  
tempore inclusum nimis arcte coniunctum  
esse, qua ex re sane incommoda multo plu-  
rima et longe maxima proueniunt. E-  
nim uero , dum id, quod officium exigit,

tres

tres praeceptores pro uirili faciunt, atque,  
 ut leges scholae nostrae a laudatissimo LIPS.  
 SYNEDRIO confirmatae (\*) praecipiunt, cla-  
 ra et sonora distinctaque uoce fideliter in-  
 stituunt discipulos suos, hique, quae tra-  
 duntur, uel ediscunt, uel recitant & red-  
 dunt, omnia ab omnibus tribus ordinibus  
 claro clarius percipiuntur et sonantissime  
 exaudiuntur. Quis est igitur, qui non uideat,  
 quod in hac rerum facie docens unus turbet  
 alterum, et, clamore undique ingeminato,  
 omnes docentes aequa ac discentes plane  
 confundantur, id quod leuia haecce, quae  
 interposita sunt, assumenta impedire nullo  
 modo possunt. Hinc quemuis facile intel-  
 lecturum credo, scholam nostram, praeter  
 docentium uoluntatem, perpetuum susur-  
 rum & murmur esse perplexumque strepi-  
 tum. Rebus itaque sic se habentibus, uos,  
 FAUTORES OMNI OBSERVANTIA COLENDI, iu-  
 dicabitis ipsi, quid in tanta frequentia di-  
 scipulorum, quid in tanta discrepantia in-

(\*) Cap. IX. §. 28.

geniorum, quid in tanta differentia lectio-  
num, quid in tanta angustia loci, turbata  
undique institutione nostra, effici solidi  
possit. Omnibus igitur, quibus possum et  
par est, precibus et oro et rogo et obte-  
stor, ut huic malo multo maximo reme-  
dium idque sufficiens adhibeatur, siquidem  
uos intelligitis ipsi, quod, qui uult finem,  
media etiam uelit ad finem necessaria. At-  
que quum id, quod precibus uobiscum a-  
go quam possum diligentissimis, et bonum  
sit & pium, aequumque maneat et iustum,  
utique credo totus, me non implorasse fru-  
stra, sed quod optaui et petii, me orando  
esse consecuturum. Nihil itaque dubitatio-  
nis mihi relinquitur, uos uestra pro pru-  
dentia paterne curaturos, ut in posterum  
ordines habeamus distinctiores, ut habeam-  
us separatores. Hoc facto, uos, PATRO-  
NI ÆTATEM DEUENERANDI, promouebitis  
scholae uestræ integritatem: hoc facto,  
promouebitis reipublicae salutem: hoc fa-  
cto, promouebitis uestram ipsorum lau-  
dem

*Ge 5498*

dem : hoc facto , et gloriam diuinam , fi-  
nem omnium actionum supremum , certo  
pronouebitis . Sed ne modum prologi ex-  
cedam , hic finem sermonis mei facio , ex a-  
nimoque precor , ut DEUS o . M. finem no-  
strum triplicem promoueat ; omnia impe-  
dimenta remoueat , et , quod primo loco di-  
cere quidem debuerim , domino EPHO-  
RO NOSTRO DELITIENSI SUMME  
REUERENDO STRENGIO , uobisque ,  
PATRONI , NULLO NON HONORIS CULTU SUSPI-  
CIENDI , omne felicitatis genus elargiatur  
quam clementissime !

Quod restat , TIBI , UIR . ADMODUM REUE-  
RENDE , INSPECTOR SCHOLAE NOSTRAE  
UIGILANTISSIME , UOBISQUE UIRI ET CON-  
SULARI ET SENATORIA DIGNITATE PER-  
QUAM CONSPICUI , gratias , quas debeo et  
possum , ago habeoque maximas , quod exa-  
mini nostro solemni et praeesse et adesse tam  
beneuole uolueritis , uobisque me pariter at-  
que scholam uniuersam nostram de meliori  
etiam atque etiam commendo .

ULB Halle


3

004 586 301



f





Q.K. 514,9.

de re Scholastica eiusq; praestantia  
**Coram**

## Coram

## *Pastore Primario Ad*

S. T

Ye  
5498

# DOMINO M. AUGUSTO BEYERO

Inspectore scholae Sorbigensis grauissimo,

*nec nos*

# MAGISTRATU

# CIUITATIS SORBIGENSIS

## amplissimo

*Patrono scholæ patriæ  
optimo, BIBLIOTHE*

*sub examen solemi*

## DIE IV. IDUUM MAI

morū solito

*aliqua ex re scholastica*

profess

## **praefatū**

o. Daniel Wei

Page

M. Jo. Daniel Weisig  
practatur  
Rect.

Rect.

